101 153

Amicissime frater.

Ex illo qui meam tibi exhibuit syngrapham atque tuis etiam literis intellexi, sexaginta florenos a te, quemadmodum petieram, numeratos fuisse. Non te onerassem illo officio, nisi incertum fuisset, opus illis Amstelodami esset nec ne. Et quia propediem negotii privati causa in urbem urbium profectionem meditor, ideo illius rei ulteriorem narrationem differam neque tibi ingratum fore spero quod nunc commemorabo. Uxorem tuam quanquam clinicam, spero adhuc Deo favente, tibi tuisque familiae praesentem fore. Quod manu pedibusque exequi non poterit, id consilio et alloquio praestabit.

Academia Batava reflorescere incipit paulatim contagio se remittente: id quod in urbe quam non quidem Romam sed Amstelam vocant quoque fieri ex novellis hodie intellexi. Plura nunc non addam, quia et negotiis obruor et coram gratiora referri posse non ignoras. Vale decus meum et quem ardenter expecto futurae Collega

18. Sept. 1664. J. Horn

Myn Heer

Myn Heer Johannes
Christenius Germar-
den Doctor ende
Professor der Rechts
tot Amsterdam
Op de oude Turfmarckt Poort
num. 21.